Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1143
Quelle:
Copyright:

multo ante an. 1454. susceptus; ait enim Noster se eum, *quem nec docta sapientia, nec experientia longa, sed magis noua electio fecit priorem.* Concludit: *Vale. et noueris scriptum quia prior esse debet in onere. qui prior constituitur in honore.*

VIII. *fol.* 245. p. 2. *Prologus in opusculum quod dicitur stilla ligni uite. et flos agri celestis.* Incipit: *Exactionis tue instancia uictus* &c. De titulo: *Hec autem que scribo valde modica dico. quia iuxta sententiam prophetarum omnia quecumque sancti dei homines de celestibus loqui potuerunt. stillam paruulam nominauerunt. Vnde et huic opusculo. stillam ligni uite et florem agri celestis nomen dedi.* Incipit illud: *Vincenti dabo edere de ligno vite* &c. et de coelestibus gaudiis solide et pie disserit. Ultima sunt: *Scriptum est enim. Et populus meus uidebit gloriam domini. Cui est gloria* &c. Non invenio illud in *Bibl. Mellic.* saepe *cit.* E clausula miniata: *Explicit per quendam professum Mellicen.* subit conjectare, *Wolfgangum* ipsum autorem esse, nomenque suum modeste supprimere; quomodo enim ille Sodalis sui nomen nescisset?

IX. *fol.* 250. *Epistola beati Bernhardi ad parentes proprios.* Incipit: *Sola causa qua licet parentibus non obedire deus est* &c. Finit: *in alio seculo simul felici et inseparabili societate in eius amore uiuamus. Per infinita secula seculorum Amen.* Suppositicia, quam et stilus prodat, et ipsa *Bernardi* respuat historia, et editores ejus adcuratissimi ignorarint. Laborem scribendi in hoc terminavit Coenobita noster *Mellicensis* hac nota miniata: *Finit scriptum presens quinta mense febrili Anno christo natoque sexagesimo terno.*

X. *fol.* 252. sequitur alia, sed aeque concinna manu: *Petri pauli Vergerij Iustinopolitani viri clarissimi Ad vbertinum Carrariensem De Ingenuis moribus et liberalibus adulescencie studijs* elegans et utile Opusculum, quod jam 1477. *Mediolani* per *Phil. Lavagnam. Brixiae* per *Jac. Britannicum* 1485. et ultima Sec. XV. Decade *Venetiis* et alibi pluries in 4. prelo subjectum fuit. Initium est: *Franciscus senior auus tuus* &c. Finis: *nil tibi nisi te ipsum uideri defuisse.* Autor, qui *Sigismundum* Imp. in *Hungariam* secutus ibidem circa 1428. diem clausit, *Senior* adpellatur; ὁμωνυμον enim habuit sequente seculo, qui *Lutheranorum* partibus in *Germania* se adjunxit. Utriusque vitam et scripta recenset *Niceronius* T. XXXVIII. *Mem. des Hom. illustr.* p. 57.

CCXCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 176. f. characterum ductu ad Scripturam dictam *Longobardicam* accedente, rubricisque distinctus priore sui parte *Homilias*, posteriore SS. Vitas sive *Passionale* complectitur. Utriusque Partis *Index* prae- 362